

Neglectæq; tuæ pendebant Phœbe sagittæ,
Neptuniq; tridens, nati & talaria Majæ,
Et clava Alcidiæ, & superati thyrsus Iacchi,
Et quæ his Saxonica fragrantia germina Rutæ
Esse queunt posthac miseris solatia captis.

His missis, magno se Musica turba tumultu
Intulit, Egregiæ celebrans præconia DIVÆ,
Gnara animos docto plaudentum accendere cantu,
Nec tuba iam lituivæ sonant, clangentia Cypris
Scilicet æra suo transcribit propria Marti,
Rauca cythoriacâ queritur nec tibia buxo.
Sed cytharæ, cantusq; leves, sed plectra sequaci
Ducta melos digito divinum promere certant,
Hæc chelys Oeagrii suavi modulamine Ditem
Flectere quæ scivit, manesq; cedere profundos,
Tergeminiq; canis cantu compescere rictus,
Atq; senis cymbam mirantis sistere nautæ,
Insolitos mirè certat cribrare tenores,
Qui superare tuos suboles Acheloia cantus,
Virgineisq; lyram possint evellere dextris.
Turma puellarum juxtâ & chorus alter Amorum,
Magna satellitio quo cypris gaudet amico,
Mille vibrat vocum vario discrimina flexu,
Iura canens nostræ, & certamina grandia DIVÆ,
Et magnum Puerum, regna & contermina cœlo,
Dicite jo Pæan iterans, ter dicite Pæan.

Tumq; puellari monimenta celebria lusu

A 4

Succe-